DE ANIMI ADFECTUBUS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Domenico Giroletti, Giovanni Maria Zendrini



DE

ANIMI ADFECTUBUS

Dissertatio Inauguralis

QUAM ANNUENTIBUS
PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE
SPECTABILI DOMINO DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS
AUSPICE

D. D. J. M. ZENDRINI

PROF. ORD. HISTORIAE NATURALIS

AD MEDICINAE LAUREAM

rite assequendam

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

mense Septemb. anno **1840**

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

GIROLETTI DOMINICUS

EX FORO DIUGANTORUM.



TICINI REGII
EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.



MATRI

OPTIMAE ET CARISSIMAE

HASCE TENUES MEDICINAE PAGELLAS

FESTINANTER COLLECTAS

AMORIS GRATIQUE ANIMI CAUSSA

DICABAT

Filius Umill.

840

Exordium.

Unicuique satis innotescit quemnam influxum animi adfectus exerceant super animalem oeconomiam, nam nonnullos inter istos valetudinem laesam hominibus restituere valent, alii e contra optimam ac secundam, non solum infirmant, mortemque ipsam haud raro inducunt. Qua ratione agant utplurimos nescirem; forsan ab hoc pendet cur auctores inter se discrepant in illorum divisione; aliqui eos dividunt in *deprimentes*, et *excitantes*, sed in praxi observationibus minime arridet, etenim quamvis *amicitia*, *amor*, *laetitia*, *spes*, saepe saepius ad bonam

valetudinem tuendam non parum conferant, tamen quandoque illam laedere valent; dum e contra *pavor*, *moestitia*, *terror improvisus*, *ira*, *invidia*, *zelotypia*, nec non *desiderium ulciscendi*, qui animi adfectus fere semper salutem infirmant, alias, quamvis raro morbos sanant; quare hoc sub intuitu clarissimus *Esquirol* ait, quod animi perturbationes, sunt tot mentis allucinationes, ast momentaneae: istae imperium suum exercent super omnes facultates tam physicas, quam psychicas, atque laedunt mentem, ita ut homo alias res cogitare haud potest. Auctores distinguunt animi adfectus, in *tristes* ac *laetos*; *Moreau de la Sarthe* eas dividit in *spasmodicas*, et *excitantes* vel *debilitantes*; *Esquirol* in *primitivas*, ac *sociales*.



De Animi Adfectubus.

Animi pathemata omnem medentis attentionem exposcunt, et perpendendae sunt non tantum a phisiologo, verum etiam a pathologo; etenim modo causas, modo symptomata morborum sistunt, nec non adminicula therapeutica, pro eorum sanatione. Quamvis adfectiones jucundae, inducant ideas hilares, excitent sanguinis circuitum, nam cor et arteriae majori vi pulsant, facies exhilaretur, oculi fulgant, uti esset gaudium, si tamen nimium est, atque intempestivum, valde luctuosum evadere potest, uti nonnullae observationes fidem faciunt: Valerius duas mulieres demortuas esse tradidit, una cum accepisset, post cladem ad Trasimenum lacum, filium suum sospitem vivere, altera vero inter amplexus.

Inter animi adfectus qui valdopere salutem laedere possunt, venit *Nostalgia*, quae nil aliud est nisi flagrantissimum desiderium redeundi in patriam, et quamvis prae aliis hac aegritudine corripiantur Helvetii, et montani qui feruntur in urbibus populosis, tamen nequaquam subscribere possum opinioni illorum qui putant istos tantummodo obnoxios esse, etenim et Angli, Itali, Galli, Teutoni, quandoque hoc diro morbo corripiuntur; et Ovidius nonne scripsit.

Nescio qua natale solum dulcedine captos
Ducit, et immemores non sint esse sui.
Quid melius Roma

Quid amplius? nonnulli dum in patriam suam odio habere deberent, quia ab ista exagitati, atque iu exilium acti fuerant, tamen amore torquuntur in eam redeundi. Ita Temistocles qui a Serse impellebatur ut bellum susciperet contra patriam, beneficiis immemorem, mortem prediligit quam damna patriae inferre. Hoc sub intuitu quoque *Cicero* dixit: « sic nos patria nostra delectat, ut sapientissimus vir Ulysses immortalitati Ithacam illam, in asperrimis saxulis, tamquam nidulum, affixam praeponeret ».

Illi qui nostalgia corripiuntur, taciturni, lan-

guidi, melancholici, inertesque fiunt, lente absumuntur, stupidi evadunt, et non raro mentecapti. Inter causas quae suicidium producunt, praetermittenda quoque non est nostalgia, etenim apud auctores exempla innumera inveniuntur, uti et ipse *Esquirol* testatur: « Lorsque la nostalgie règne épidemiquement dans une armèe parmi les habitans des montagnes descendus dans nos villes, lorsque les monomanies se propagent et s' étendent sur la population, particulierèment la monomanie superstitieuse, alors les suicides sont plus frequens (1) ».

Iracundia quoque haud infrequenter funestissimos parit effectus; etenim si nos attente perpendimus hominem irascentem, videmus faciem ejusdem inflammari, oculos scintillare, musculos majorem roburem aquirere, sanguinis circuitus quammaxime accelerari, nam cor arteriaeque vehementer pulsant, ac irregulariter, ita ut haud raro subsequantur variae haemorrhagiae.

Ira postea non levem influxum exercet super viscera abdominalia, et potissimum hepatis,

(1) *Esquirol* Dans le Dictionnaire des Sciences Médicales tom. XXXII pag. 153.

uti observationes quotidianae hoc demonstrant; nam aliquando post irae accessum evolvuntur symptomata policoliae in universo corpore, ita vomitus biliosus, diarrhoea biliosa atque ipse icterus in scenam prodeunt.

Alias non solum adaugetur in quantitate, sed alteratur in qualitate ita ut verum venenum efformat, hinc exoriuntur dolores cholici atrocissimi, febres ardentes, vel gastro-biliosae; alias ipsum hepar phlogosi laborat: quare relate ad bilis alterationes propter irae eccessum optime monuit celeberrimus Zimmermann: « Dopo una forte collera, la bile per lo più si alza allo stomaco, e produce un vomito; in altri si spande copiosamente negli intestini, e cagiona una diarrea salutare; alcune volte vien anche trattenuta, s' insinua nel sangue e genera l' itterizia; o imputridisce, e produce quella febbre biliosa, che si osserva tanto frequentemente nella Svizzera sopravvenire alla collera (1) ».

Aliquando iracundia mentis allucinationes inducit, vel alia mala, et eo magis ubi eam expellere nequimus; haec mala vero magis magisque a foeminis persentiuntur; quare nonnunquam videmus quod illarum vultus palle-

(1) Zimmermann. Della Esperienza nella Medicina.

scit, tremor universalis eas corripit, potissimum in manubus, et pedibus superveniunt convulsiones nec non deliquia, quae haud raro in syncopem mortemque transeunt. In illis qui frequenter irae accessubus obnoxi sunt, facillime patitur tubus gastro-entericus et jecinur.

Tristissimi effectus ab iracundia in foemina lactante habentur, etenim propter hanc lac alteratur, etsi in hoc rerum statu ubera infanti suo praebet, hic corripitur doloribus atrocissimis, nec non convulsionibus epilepticis.

Quantum *metus* noceat, neminem latet, plura ac plura mala ab hoc pathemate originem ducunt, eo magis si corripiuntur homines debiles, delicatuli, hypocondriaci, foeminae hystericae, aut nimia sensibilitate, ac mobilitate praeditae: pavor enim vires valdopere infringit, totumque corpus frigore corripitur, relaxantur sphyncteres tam ani, quam vescicae urinarie, propterea inscio homine foeces et urinae evacuantur; quod si metus adaugetur, nervos violenter afficit, potissimum in hominibus debilibus et pueris.

Pavori autem subsequuntur quam plurimae adfectiones nervorum, ita amaurosis, epilepsia, dyslalia, vel perfecta loquelae abolitio; si terror enim est improvisus, ac vehemens, ita in

organismo humano agit, ut omnes corporis partes in quemdam inertiae statum incidant, propterea haud raro dum homo cogatur periculum evitare, vitam amittit. Esquirol sermonem habens de demonomania, retinet quod terror, ac timor nonnunquam hunc morbum procreare valeant, uti patet a sequentibus verbis: « L'inquiétude, la crainte, l'effroi, exagèrent, dènaturent tout: il fallait se dèlivrer d'un mal extraordinaire, et dèterminer les vengeances cèlestes; en voulait lire dans l'àvénir ce qu'on devait evaídre ou espórer; on évoqua les ames des morts aprés avoir consulté les astres et les oracles (1) »

Non pauci medicinae institutores retinent pavorem nonnullis morbis, et praesertim epidemicis ac contagiosis praedisponere; et re quidem vera quotidianae observationes hoc confirmant, etenim sat saepe nobis datum est videre illos homines, qui dum valde timent aliquam epidemiam vel contagionem, prae aliis corripiuntur. Ita quum pavor ita tristes gignat effectus praesertim in pueris ac foeminis, isti ab omni periculo arcendi sunt ut tali modo praecaveatur pavor: ita quoque dum adsunt

(1) *Esquirol.* Opera citata tom. VIII. pag. 296.

pueri minime sermonem habere debemus de spetris, larvis, lemuribus, mortuis, id quod nonnulli imprudenter ridendi causa faciunt.

Inter effectus qui bonam valetudinem tueri valent, praetermittenda procul dubio non est *Amicitia*, dummodo haec vera, reciproca, constans sit; ita in nonnullis erumnis non parum juvant consilia amici fidelis, qui in hisce casubus utpote medicamentum habendus est. Hoc sub intuitu autem clarissimus Alibert ait: » L' amicizia è una delle più nobili facoltà dell' anima nostra, è in pari tempo una delle più pure e deliziose disposizioni del nostro sensibile sistema, ed è forse la sola passione il cui eccesso non sia riprovevole » (1). Hoc quoque confirmatur a Bonnet » L' amitié, ait auctor, est un sentiment doux, et qui différe entiérment de l' amour, en ce que celui-ci est toujours guidé par l' appétit matériel des sens, tandisque l' autre est l' union qui existe indipendament des sens entre deux personnes sensibles, et vertueuses » (2).

Aliud pathema quod vires vitales prosternit, est *moeror*, atque effectus ejusdem, modo ce-

(1) Alibert Fisiologia delle Passieni vol. II pag. 27.
(2) Bonnet op. tom. 21.

leres, modo tardi sunt; habentur casus in quibus propter vehementem moerorem, homines de repente perierunt. Si rite ad trutinam revocamus omnes effectus quos in animali oeconomia contingunt, videmus hoc pathema ad deprimentia demandandum esse; sed non tantum in systemate nervoso mala parit, verum etiam in sanguifero; etenim adspectus aegrotantis fit pallidus, appetitus ciborum imminuitur, digestio languet, nutritio tali ratione labefactatur, corpus universum emaciatur, somnus est inquietus, ac insomniis turbatus, sanguinis circuitus retardatur, vires deficiunt; respiratio gravis ac suspiriis profundis interupta, cutis decoloratur, evolvitur quandoque febris lenta indolis asthenicae, quae diu continuare potest, mortemque inducere. In foeminis postea et alia evolvuntur phoenomena, menstruorum fluxus imminuitur, vel omnino supprimitur, vel huic locum habet leucorrhoea, fiunt hystericae, atque haud raro chloroticae, et nonnunquam in amentiam transire potest.

Melancholia duos gradus praesefert satis distinctos; in primo aegrotantes habent sensibitatem, et mobilitatem extremam; omnia in ipsis vivissimam impressionem faciunt, etiam levis causa parit magnos effectus, et in rebus

magis consuetis vident phoenomena peculiaria ac nova, propter eorum damna et cruciatos parata. Calor, frigus, pluvies, venti, ipsis terrorem incutiunt, atque exagitant. Si aliquid minime gratum est, horrorem inducit, animo obstinantur in detrectationem; si cibus minime congruit, fastidium affert, nauseam vomitumque promovet. Causa quamquam levi exanimatur, omnis dolor eos desperat; ac si ab aliquo infortunio etiamsi parvi momenti adficiuntur, consternantur. Mens adhuc dum haud amissa est, ast in eorum modo sentiendi, ac cogitandi, et negotiis deest illa perspicuitas, et ratio, uti observatur in aliis, omnia extra limites impellunt, et in rebus externis semper aliquid inveniunt pro eorum adflictione. In aliis e contra sensibilitas colligitur erga unicum objectum, organa corporea carent susceptibilitate erga alias impressiones, et animus solummodo occupatur in ideis quae nexum habent cum eodem objectio.

Tam in uno quam alio casu oritur taedium, moestitia, timor, quae dein inducunt delirium peculiare, a quo melancholicum removere haud possumus.

Spes ultimum solatium est quod miseros mortales sustinere valeat, haec agit excitando

talique ratione promovet languentes vires vitales, nonnullosque morbos sanat, qui aliunde ab omni spe derelicti erant.

Amor ille dulcis affectus, si animorum conjunctio mutua est, homines excitat, ad novam vitam revocat, ei virtutem conciliat, ita ut superare valeat obstacula quamplurima, reddit audaces meticulosiores, strenuos pusillanimes, garrulos silentes; talique ratione maximam utilitatem afferre potest; tamen inficiari nequimus in aliquibus valde noxios gignere effectus. Si vero rite perpenduntur commoda et incommoda ipsius, candide fateri oportet, quod dubium adhuc relinquit, utrum plus utilitatis, quam damni sit; nihilo tamen censeo, amorem magis bonos protulisse effectus, quam malos; nam dummodo sit verus, ac purus, affectum suavissimum sistit ac nobilissimum; etenim si foeminae ex toto corde amant, propriorum morum puritatem confirmant, puella autem quae rite scit amare omnium existimationem et amplexum meretur; sed oportet ut amor sit purus, ratione innixus, minime insanum desiderium possidendi objectum, etenim in hoc casu possessio post aliquod temporis spatium apathiam, ac tandem fastidium parit. Amor conjugalis efformat vinculum, quod spes

pulcrius fit, felicitas conservat, atque infortunium confirmat. Conjuges congruenter in matrimonium juncti absolvuntur vicissim tributum indulgentiae.

Si fuit desiderium insanum plura, ac plura mala oriri possunt, quare illae foeminae quae voluptuoso amore adgrediuntur, incidunt in demonomaniam, catalepsim, epilepsiam, hysterismum, nymphomaniam, chlorosim; etenim et ipse Esquirol testatur se plures hystericas famulas vidisse demonomania correptas propter amorem denegatum.

Plura reperiuntur exempla tam in sacris, quam profanis paginis, nonnullarum quae ob denegatum amorem, mortem sibi dederunt, etenim foeminae prae hominibus sentiunt malos effectus hujus pathematis, ita Esquirol ait: » Les femmes, pour qui l' amour est l' affaire la plus importante de la vie, se soustraient plus difficilment que les hommes à l' influence de l' amour contrariè » (1).

Amor denegatus nec non adversatus saepissime homines impellit ad suicidium, uti praxis quotidiana demonstrat: Esquirol dum sermonem habet de causis quae disponunt, ac

(1) Esquirol. op. cit. tom. XXX pag. 444.

impellunt ad suicidium, etiam hanc refert. Quo ardens amor, neque ratione innixus eo majora damna emergunt; ita quandoque si hic adfectus contemptus est, in furorem et odium mutari potest.

Ad pathemata bonam valetudinem laedentia, demandandum quoque est *odium*, quod in suis effectibus parum vel nil ab invidia discrepat. Homo qui alium odit, omnes suas excogitationes circa illum implicantur, mens in eum assidue intenta est, ab eo arcetur somnus, vel si post longas vigilias somno obruitur, hic inquietus, ac insomniis terrificis perturbatur. Tubus gastro-entericus in compassionem trahitur, hinc cibi appetitus imminuitur, languet digestio, talique pacto anorexia laborat, dispepsia; nutritio labefactatur, cachecticus fit, et nonnunquam lenta febri consumitur; et quo magis animus ferox est facillime odio inexorabili corripitur. Quare relate ad hoc argumentum optime scripsit Alibert: » I Patagoni, quei colossi della umana specie, che si cuoprono colle pelli di diversi quadrupedi, sentono così altamente l' energia di questa passione che si crederebbero quegli stessi animali di cui indossano le spoglie. Esistono tra alcuni popoli dell' Africa odj che

rimontano a più secoli e che veruna circostanza potè indebolire. Giammai alcuno di loro non perdonano la morte d' un padre o d' un figlio » (1).

Aliud pathema quod frequentissime torquet mentem humanam est *desiderium ulciscendi*; etenim ille qui injuriam, aut malum retulit, vexatur a flagrantissimo desiderio ulciscendi, et si hoc diu perdurat plura mala oriri possunt; ex eo quod semper in animo suo pervolvit, quanam ratione hoc obtineri possit; hinc fit cogitabundus, imminuitur appetitus; hypochondriasi corripitur, irrequietus die noctuque, magis magisque animus ejusdem excruciatur.

Foeminae ob summam mobilitatem, et sensibilitatem systematis nervosi majori vehementia adgrediuntur; hinc si tempore menstruationis hac adfectione laborant, sat saepe silet hic fluxus, vel paucior fit, in scenam prodeunt turbae hystericae, et si influxus ejusdem diu perdurat evolvuntur phoenomena chlorosis, et foeminae febri tabida depascuntur. Ad praecavendos tristes effectus hujusce pathematis non parum conferre potest ratio, firma voluntas;

(1) Alibert op. cit. vol. II pag. 123.

ideo cor magnanimus, qui magna existimatione dignus est, omni conatu curat injuris oblivisci.

Inter animi adfectus postea, quae secundam valetudinem infirmari valent praetermittenda non est *invidia*, quae perturbat organicum et morale systema: hoc pathema consistit in effreni desiderio possidendi quod aliis spectat, quod humanae felicitati non parum se se obstat. Omnes homines cujuscumque aetatis hoc animi adfectu corripi possunt, neque parcit infantili, etenim si infantes vel pueri aliquod vident pro alius pueri blanditie, non raro fiunt tristes, nisi et ipsi idem possideant. Enarrate homini omnes sortes sui aemuli, statim invidia perspiratur ab anima ejusdem; physionomia satis ostendit inquietudines a quibus corripitur, vultus pallidus fit, dissimulare haud potest suam afflictionem, atque iram.

Invidus omnino tranquilitate caret, ac semper in angustiis est; solatium habet in infortunio ac ruina sui similis; quare occasionem expectat ut aliis mala inferat, venenum ubicumque infundit, ac famam deturpat; atque exultat quando innocentes opprimuntur, et virtus foedatur.

Nunc superest ut breviter nonnihil addam *de studio nimio*, etenim si limites excedit monomaniae speciem sistit; ille autem qui totis suis viribus studiis incumbit, vitam sedentariam ducere coactus est, et non solum de die, verum etiam de nocte indulget, conatur somnum avertere nonnullis potionibus, et potissimum infuso saturo coffeae arabicae abutitur, cujus damna praesertim super systema nervosum observantur. Porro propter nimiam vitam sedentariam digestio patitur, hinc homines literis dediti sat saepe laborant ructubus, anorexia, dispepsia; evolvuntur etiam adfectiones haemorrhoidariae, propter quas in compassionem trahitur quoque hepar. Progressu temporis ob debilitatem organorum digerentium, et perturbationem secretionum corpus emaciatur, atque in scenam prodeunt morbi nervosi diversi generis, uti sensuum imbecillitas, hypochondriasis, melancholia, nec non ipsa dementia. Hisce paucis hujus dissertationis finem pono ne lectoris indulgentia abutar.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

I.

Cancerum morbum localem, minime diathesicum sistere.

II.

Martis praeparata virtute antiperiodica pollere.

III.

Sinapismorum applicationem ad inguina in cura amenorrhoeae proficuam.

IV.

In pelvis diametris indicandis pelvimetrum saepe fallere.

V.

Applicationem coementi ex albumine ovorum coagulato confecti in fracturis, e foro chirurgico penitus proscribendam.

VI.

Lac humanum in tabe dorsali damnosum.